

Justitia, & Pax osculatæ sunt.

Psalmô 84. vers. 11.

Id est,

IN HOMOBONO

ITALO

CONJUNCTA,

MIRO FOEDERE CUM PACE JUSTITIA

IN SCENAM DATA

AB

ORNATISSIMIS, AC DOCTISSIMIS DD.

DIVI THOMÆ

DISCIPULIS,

In Almo studio Generali Augustano Fratrum
Ordinis Prædicatorum.

Mense Februariô,

Et Annô

Quô omnes in mundo

EXoptant PaCeM De CœLo.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Typis Maximiliani Simonis Pingitzer, Typographi.

ARGUMENTUM.

UT magnus, & sanctus testatur Augustinus: tantum est Pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis, ac mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, & nihil melius demum audiri possit. Pax dilectionis Mater est, concordiae Vinculum, & manifestum purae mentis indicium: non querit alienum, nihil deputat suum, & teste eodem sancto Patre docet amare, quæ odisse non novit, nescit extolli, & inflari ignorat. Verum quoniam ex Injustitia Pax, & Concordia cunctorum solvitur, & secundum Hugonem à sancto Victore per Justitiam universa reconciliantur, Paci Justitiam addimus, qua juxta mellifluam sancti Bernardi sententiam Deum timemus, Religionem veneramur, Patriam diligimus, nocemus nulli, cunctis profumus, fraternæ Charitatis vinculum tenemus, & æquitatem in omnibus observamus Iudiciis. Quapropter ad utriusque boni, pacis nempe, & Justitiae veritatem inferendam pro Dramatis materia Nobilem, & Divitem fingimus Italum ex ficto Nomine Homobonium, qui relictâ Patria secedens in Germaniam in ea domicilium comparavit sibi, & Pacis & Justitiae Amantissimus easdem quoque in sui Cultoribus eximiis, pacem nempe in Agricola, Justitiam verò in Prætore nobili summe admiratur, & admirando ore illis illud Prophetæ Regii Psalmó 84. vers. 11. apponit, & pronuntiat: Profectò sese in Vobis Justitia, & Pax osculatae sunt: maximè quia & proprium Filium in novo Mundo seductum ad veras Pacis, & Justitiae vias direxere.

Scena fingitur, & sigitur
IN AEDIBUS HOMOBONI
Nobilis, & divitis Itali sibi noviter
in Germania comparatis.
MUSICES

MUSICES PARS PRIMA.

Mundi Genius quærit, & inventit Justitiam, & Pacem, & miserum
Earum miratur statum, & faciem.

Recit. *Genius Mundi*. Quid ego video? - - dubius hæreo:
Immotè dant oscula,
Fortè Pax est, & Justitia?
Ast vana mea hæc somnia.

I. ARIA.

Justitiam sedulus quæro, Sunt sanè non nisi hæc picta
In via & obviam spero: Idola, quæ video, ficta;
Pacem & expeto, Sunt spectra turpia,
Absentem doleo, Non est Justitia,
Pax, Pax, & non est Pax. Non Pax, Pax, non est Pax.

Recit. *Pax*. Pax ego sum misera,
Justitia. Extorris & ego Justitia.

ARIES.

Pax, & Justitia, Pax, & Justitia
simul. Figimus oscula,
Hæc sunt perpetua
Amoris fœdera,
Nos inter mutua
Dum damus oscula.

Recit. *Gen. Mundi*. Ergone Pax sit, & Justitia?
Heu! quām misera utriusque figura?
Nisi videro, fidem probavero,
Non credam, non credam ego.
Justitia. Mitte digitos in fixuram telorum,
Pax. Vide, quæ fecrē Vulnera manus inimicorum:
Pacem miseram me esse probabis,
Justitia. Justitiam exulem me affirmabis.
Genius Mundi. Quis hostium cruenta - hæc vobis inflixit vulnera?
Pax. Triste responsum dabit omnia.

ARIA à DUETTO.

Pax. Te , qui mittit Genium
Justitia. Hostem scimus maximum,
Pax. Mundus est , qui vulnera
Justitia. Hæc inflixit plurima.
Pax. A Rosa quot spinæ ,
Justitia. A mundo tot plagæ:
Pax. Tot dedimus bona ,
Justitia. Tot ferimus mala :

Pax, & Justitia simul. Hic mundi est mos.

| | |
|------------------|-----------------------|
| <i>Pax.</i> | Gladius, supplicium, |
| <i>Justitia.</i> | Mors, Carcer, exilium |
| <i>Pax.</i> | Amara sunt munera, |
| <i>Justitia.</i> | Pro meritis præmia: |
| <i>Pax.</i> | Sub jugo vix vivæ |
| <i>Justitia.</i> | Sic gemimus ambæ. |
| <i>Pax.</i> | Da Paci hic sedem, |
| <i>Justitia.</i> | Justitiæ legem, |

Pax, & Justitia simul. Et libera nos.

Rec. Gen. Mundi. Libens votis annuo, à vinculis libero:
Reficiam & vos miseras, tot plagis sanguineas.
Pax, & Justitia, Mundi lætitia, & summa gloria.

I. ARIETA.

Quæsivi,
Inveni
Sponsas, quas amo:
Aimabo,
Locabo
Ambas in Throno.

2.

Amore,
Timore
Imperent nobis:
In laude,
Non fraude
Regatur orbis.

PARS PRIMA DRAMATIS.

SCENA I. Conqueritur Homobonus de comparatō sibi in Germania domiciliō; eoquod in ea nondum invenerit, quod adeò exoptārat, Pacem nempe, & Justitiam.

SCENA

- SCENA II.** Mox verò verum Animi Germani Candorem veræ Pacis nuntium reperit in Germano, & sene Rustico Friderico.
- SCENA III.** Philibertus ab Homobono emissus pariter regreditur cum Justino Prætore, eximio Justitiæ Sectatore, & cùm ambo absentem habeant Homobonum, Justinus causam vocationis quærerit ex Friderico.
- SCENA IV.** Hemobonus adveniens de mirabili orbis metamorphosi cum Justino discurrit, & Friderico.
- SCENA V.** Carolô quoque unâ cum Ferdinando ex variis mundi regionibus, iisdémque peragratâs redeunte, & cùm totus mutatus ab illo, qui discessit filius Homoboni unicus, Pater omnem rapitur in admirationem,
- SCENA VI.** Et ob perversos Nati mores ex toto desolatus Justinum vocat Prætorem, ut solatium ferret in Cruce, quam secum Patri tulit filius ab itinere redux.
- SCENA Intercalaris** ad propositum pro Dramatis exhibitione erit mutabilis.

MUSICÆ PARS SECUNDA.

Pax, & Justitia à Vinculis absolute Genio Mundi supplicant, ut & à periculis in mundo sint liberæ.

Recit. *Pax.*

Libera sum à vinculis,
Sed non à periculis:
Absit & pericula,
Pax ut sim libera:
Hæc si non evasero,
Stabilis permanere non potero.

I.

Scientiæ, Comercia,
In Pace florent omnia:
Dum ferrum furit hostium,
Bonomum fipis omnium.
In mari Mercatoribus:
Non bella in Amoribus:
In terris Martis agmina
Res omnis timet publica,
Et tamen tot pericula,
Ut ante Paci vincula.

ARIA.

Columba non à Vulture,
Non turris & à fulgere
Insidiis sic premitur,
Ut felix pax deprimitur.
Et libens licet offeram
Olivam sat fructiferam,
Quietis locum nescio,
Ad arcam nisi propero:
Sum libera à vinculis,
Me eripe periculis.

2.

Recit. Genius Mundi.

Liberam te feci vinculis,
Liberabo & periculis:
Bellis pertesa sunt omnia,
Pax redeat, & Justitia.

Justitia.

Magna promittis, & aurea,
Sed & ego pertimesco ferrea:
Experta sum utriusque Politiae fallacias,
Tot in mundo dum passa sum injurias.

I.

ARIA.

2.

Si omnibus sum omnia,
Do singulis si singula,
Si tollo avaritiam,
Si fugo & invidiam,
Dum suum cuique tribuo,
Quod justum si non abnuo,
Cur Mundus adhuc odit me,
Et sine fructuomni Spe?

Innumera sunt Odia,
Quae patitur Justitia,
Et tamen me non Comite
à vero erras tramite:
Sunt gressus hi in tenebris,
Sunt pleni & periculis:
In felix Crede, sine me
Necessè est perire te.

Genius mundi. Absit ut peream, Pacem amo, & Justitiam:
Sponsabo me vobis in fide,
Sponsæ meæ sitis æternæ.

Justitia.

Rarum Conjugium!
Sed utinam (ut promittis) æternum.

ARIOSE.

Genius mundi.

Sit vera, sit perpetua
Nos inter amicitia:
Sancita modò fœdera
Sint ad æterna tempora,
Et Pacem cum Justitia
Conservent mihi Numinis:
Eja igitur timorem depellite;
Cum vinculis pericula abjecite,
Pax mihi sit, fiat Justitia,
Ne pereat haec mea Mundi Machina.
Paratum vobis mox consendite thronum,
Et omne, quod aequum, mihi decernite bonum.

Rec. Genius Mundi.

ARIA

ARIA à D U E T T O.

Pax.

Pacem clama,
Bella fuge,
Si me quæris,
Hic in terris
Omni donô
Abundabis
Pacis sedem,
Quod exoptas,
Possidebis,
Tam in terris,
Deo grata,
Erit vita,
Hinc in corde,
Nostrum sonat:

I. Justitia.

Jus & ama,
Nefas luge,
Me non spernis,
Felix eris:
Par bonô
Si servabis
Juris legem.
Læta speras,
Et habebis
Quàm in Cœlis:
Ter amata
Finis ita:
Et in ore
Felix fiat.

P A R S S E C U N D A D R A M A T I S.

SCENA Intercalaris materiam dabit mundi fallacis.

SCENA I. Homobonus auxiliò Justini, & Friderici Consolatus,

SCENA II. à Filio suo Carolo recipit litteras, quibus certior factus de acceptis in duello vulneribus, & unico Nati voto paternos revisendi lares.

SCENA III. Qui & in domo paterna adveniens meliora contra novum orbem sapere videtur,

SCENA IV. Maximè Consiliis, & fundatîs Justini, & Friderici Monitis.

SCENA V. Redit & Ferdinandus Caroli Amicus, & individuus Comes, & hōc similiter vulneratō de sestända pace, & Justitiâ Carolo majus lumen affulget,

SCENA VI. Et tandem cum Ferdinando suam firmat voluntatem, quæ Pacis, & Justitiae sunt, seständi semper, & in paternis permanendi latibus.

I. CHORUS.

Deus Regnorum omnium,
Et Mundi Rector Principum,
In his diebus nostris
Da pacem, dona nobis.

Benignè fac & Domine,
In Sancto tuo Nomine,
Semper ut Justitia
Fiat, & per sœcula.

2.

PER-

PERSONÆ AGENTES.

Ornatissimi, ac Doctissimi Domini Theologi

- D. Franciscus de Paula Schlätterer, Homobonus Italus.
D. Franciscus Xaverius Meichelbökh, Justinus Prætor.
D. Nicolaus Schmid, Fridericus Agricola.
D. Franciscus Xaverius Kendl, Philosophus Carolus Homoboni Filius.
D. Sylvester Jäger, Caroli Amicus.
D. Antonius Greisl, Pamphilus.
D. Joannes Michaël Wagner, Philibertus. } Homobono à Servitiis.

In Interludii Varii varia dabunt Personas.

Modulos Musicos composuit

M. R. in Christo Pater F. Candidus Wiedaller, S. Ord. Præd.
Organœda & Chori- Regens in Conventu Kircheimensi.

PERSONÆ MUSICE.

- D. Josephus Bessinger, Theologus Pax.
D. Joannes Nepomucenus Welzhofer, Theologus Justitia.
Cajetanus Fichtl, Rudimentista Genius Mundi.

Omnia ad Majorem Dei, Deiparæ, ac Divi Thomæ Aquinatis,
Angelici, & Quinti Ecclesiæ Doctoris Honorem,
& gloriam.

Univ. Bibl.
Mönchen

